





39.

GRATU
Don. 2. 1000 = 1000000

CALENDAS IANVARIAS

ANNI P. O. R.

M DCC XXIII.

AVSPICATISSIMO SIDERE EXORTAS

VIRO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

IO. CHRISTIANO
a DÜRFELD

S. R. M. BORVSS. CONSILIARIO INTIMO
IVSTITIAE AC REGIMINIS NEC NON CONCILII ECCLESIA-
STICI PER DVCATVM MAGDEBVRGICVM, DYNASTAE ITEM RE-
GIO, MENSARVMQVE IN ACADEMIA FRIDERICIANA PRO-
VINCIALIVM DIRECTORI,

PIE ATQVE SVBMISSIS GRATVLANTVR

MENSARVM MAGDEBVRGICARVM
ALVNI.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.





D noua lætificæ Iani soluenda Calendæ
Vota vocant; celebrate diem pro more
veto,sto,

Thespiades, bona verba sonent, plausu-
que secundo

Iubila flammigeri surgant ad sidera cæli:
Sic ratio pietasque iubet. Fautoribus olim
Per Latium memores strenam misere clientes,
Pectoris ingenui signum: Nos rite sequuti
Concinimus laudes meritas, magnisque Patronis,
Aonii queis cura chori, sua dona sacramus.

ILLVSTRIS DÛRFELDE, decus memora-
bile terræ

Prussiacæ, fidesque micans, præconia Cuius
Fama volans pleno iam dudum ebuccinat ore,
Fulgorem quæ verba Tuum, quæ carmina nomen
Æquabunt, quantumque Tibi pro grandibus ausis
Munus erit? Sentit, quid Te fautore lucretur,
Regia Parthenope, pulcraque cupidine flagrans
Manfuris Tua facta cupit transcribere chartis.
Illa Tibi ingentes pridem decreuit honores
Promeritisque Tuis: sed se tamen ipsa fatetur
Muneribus non posse sequi conamina magna,



PRINCIPIS AVGVSTI clementia sola nitentem
Virtutem pensare potest; plenissima merces
Hoc solo Tibi fonte fluit. Stupor occupat omnes,
Tam paruo quemquam spatio conscendere tantos
Eualuisse gradus, quantos Tua contigit, auram
Nacta suam, fortuna fauens: Cumulata subinde
Gloria magnificis titulis augefcit, & vsque
Ornamenta sui recipit. Iam discite, si qui
Sortis ab arbitrio dubiæ pendere secundos
Terrigenum casus & dextera quæque putatis:
Fortunam sibi quisque suam, sua fataque fingit.
Summarum cupidus rerum, laudandaque forti
Suscipiens animo, recti studiosus & æqui,
Tollitur, & viridem palmam, vel iudice caelo,
Adsequitur, vilemque statum post terga relinquit.
DÛRFELDI genium quisquis generosaque corda
Nouerat, haud vana deceptus imagine, tantos
Successus prædixit ouans, præsaque lingua
Fortunæ certos potuit recludere cursus.
Bardiaci tractus, spumosaque litora patris
Albidos exultant, gratantur honoribus istis,
Atque Tuum nomen iactant geminantque per auras.
Prodere quis dubitet læto præcordia motu
Effera? quis tacita condat sua gaudia mente?
Quidquid vbique iuuat, prædiuite pectore claudis:
Seu Tibi dicendum ius est, opulencia linguæ
Emicat, & cæcas fraudis bene detegit artes,
Oppressosque fouet: patriæ seu cura tuendæ
Sollicitat, nunquam Tua Te prudentia rerum,
Promtaque dexteritas, & vis maturima fandi
Deficit: adfliti seu Te solamina poscunt,
Consilio largisque opibus succurrere gaudes:
Sive laboriferæ respectas sacra Mineruæ,
Non Te nobilius quisquam suscepit alumnos

Artis Apollineæ; testabitur Hala venusto
Castalidum deuota gregi; testamur & ipsi,
Quos multis cumulat donis Tua cura benigna,
Atque Aganippæas monitis inuitat ad vndas.
Pergere, MAECENAS, cupias animosus in isto
Tramite, & ex Musis sic gloria summa redundet.

Atque nouum rursus quoniam feliciter annum
Ordinis: rata vota damus, Superosque precamur,
Vt TIBI conferuent vires, animique vigorem,
Sufficiantque nouum robur. TE gratia Iouæ
Protegat, vbertim molimina iusta secundans,
Illa atros casus sæuique pericula morbi
Auertat, pellatque graues a corpore noxas.
Illa DOMVM ILLVSTREM iubeat splendescere porro
Adiæto fulgore nouo, penitusque MARITAM,
CONSORTEM THALAMI, totum sinat esse per annum
Incolumem. Sors grata Tuos comitabitur ausus,
Æternumque TYÆ GENTIS decor iste manebit.
Sic vouisse iuuat: sed nos felicia nacti
Omina perpetua Tua munera laude canemus,



2°

Gb 956,

ULB Halle 3
001 594 781


St 2

Walter Becker
Buchbinderei
Halle, Thüringer Str. 24

VOM



39.

CALENDAS IANVARIAS

ANNI P. O. R.
DCC XXIII.

MISSIMO SIDERE EXORTAS

V I R O

TRI AC GENEROSISSIMO

CHRISTIANO DÖRFELD

SS. CONSILIARIO INTIMO
NIS NEC NON CONCILII ECCLESIA-
MAGDEBURGICVM, DYNASTAE ITEM RE-
E IN ACADEMIA FRIDERICIANA PRO-
CIALIVM DIRECTORI,

E SVBMISSIS GRATVLANTVR

MAGDEBURGICARVM ALVMNI.

AE MAGDEBURGICAE,
IANI HENCKELII, Acad. Typogr.

